

rat; ergo nullam reprehensionem merebatur.

Prob. ant., quia omnis culpa, de qua aliqui D. Virginem insulant, reducitur ad tria capita: 1° Nonnulli putant ipsam laborasse nimia inquietudine, seu sollicitudine circa rem ad se non pertinentem. 2° Alii dicunt, ipsam nimis precipitanter petivisse miraculum. 3° Alii volunt illam miraculum petivisse ex vanâ gloriâ; ut omnes viderent quod haberet talem filium. Atqui nefas est talia cogitare de Virgine sanctissimâ, quæ ab omni peccato etiam veniali semper immunis fuit; ergo, etc.

Præterea illi qui asserunt D. Virginem à Christo fuisse reprehensam, detorqueant verba Scripturæ ad sensum à literâ prorsus alienum: nam primi dicunt quod illa verba: *Quid mihi et tibi est, mulier?* significant: *Quid meâ et tuâ refert, quod non habeant vinum?* Sed difficile est istum sensum ex istis verbis seligere, tum quia repugnat recta syntaxi, tum quia similes phrasæ in Scripturâ semper sumuntur pro: *Quid mihi tecum est, vel: Quid tibi mecum est*, scilicet in hoc negotio, *agendum?* Ita sumitur 2 Reg. 16: *Quid mihi et vobis, filii Sarræ?* Item, 4 Reg. 9, v. 19, nuntio regis Joram petenti an esset pax, respondet Jehu: *Quid tibi et paci?* Id est, quid tibi cum pace? Luca 8, dicit dæmon: *Quid mihi et tibi est, Fili Dei altissimi?* Id est, quid mihi tecum? Et Matth. 27, v. 19, uxor Pilati jubet illi dici: *Nihil tibi et justo illi.* Hoc est, nihil tibi negotii sit cum illo justo.

Deinde, si rem magis inspicere velimus, ista sollicitudo non erat reprehensibilis. Siquidem etiam Christus bis sollicitus fuit, ne turbæ in deserto deficerent præ fame, idèoque illas bis, multiplicatis panibus, pavit. Potuissent discipuli tunc ipsi dicere: *Quid tuâ et nostrâ refert quod deficiat præ fame?*

Denique juxta præfatam opinionem D. Virgo commiserationem habuit cum sponsis; et Christus, qui multo majorem charitatem habebat, quam D. Virgo, non habuisset commiserationem; et quidem in tantum ut diceret: *Quid ego curo quod non habeant vinum?* Certè miraculum probat omnino aliud: nam pro aliquot pintis, quibus adhuc indigebant, dedit illis sex hydrias plenas, quæ omnes simul continebant circiter ducenta pecula brabantica, vel saltem quadringentas novendecim pintas parisienses, ut vult auctor Analyseos.

Qui dicunt Mariam nimis citò petivisse miraculum, putant se id rectè colligere ex verbis Christi: *Nondum venit hora mea*, id est, illud momentum, quod pater ab æterno decrevit, quo facerem primum meum miraculum. Hæc opinio reddit aut petitionem Mariæ valde indiscretam, aut reprehensionem Christi valde injustam. Nam si miraculum reverâ factum fuerat illo momento quo fieri debebat, et tunc etiam hora Christi advenerat, certè non potuit Maria miraculum petere tempore magis opportuno: quia inter petitionem et miraculum non fluxit longius tempus, quam ut famoli admonerentur, et replerent hydrias. Ubi ergo

jam est justa causa hujus reprehensionis: *Nondum venit hora mea?*

Responderebunt fortè quod D. Virgo habuerit intentionem obligandi Christum ut faceret miraculum eodem momento quo ipsa petebat. Sed oportet ut omnem venerationem erga D. Virginem exerceat, qui capax est talia cogitandi; et ipsa humillima Virgo istam imaginationem falsitatis apertè convincit, v. 5, dicendo: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quibus verbis satis ostendit quod filio suo nec tempus, nec modum faciendi miraculum imponat.

Dices: Debebat prius omnibus convivis innotescere quod vinum defecisset, aliàs miraculum ipsis non innotuisset; et idèò nondum venerat hora Christi, dum Maria miraculum petebat.

Resp. 1° indè certum evadere quod Maria miraculum non petiverit ex vanâ gloriâ, prout aliqui nimis irreverenter opinati sunt. Interim directè.

Resp. 2° Neg. assumpt. Quia certum est quod tunc modo vinum defecisset: nam dicit Evangelista: *Deficiente vino.* Et Maria admonet Christum dicens: *Vinum non habent.* Certum est pariter quod ille defectus nondum innotuisset convivis; et idèò præcisè ne ipsis innotuisset cum venerat sponsorum, Maria imploravit auxilium Christi. Jam verò quis crederet quod Christus voluerit expectare, donec sponsi rubore confunderentur? Et quod amplius opinionem istam confutat, est hoc: Certum est quod, quando Christus aquam in vinum convertit, nondum convivis innotuisset defectus vini; nam gustato vino miraculoso mirabatur architriclinus quod sponsus, contra morem illius temporis et regionis, servasset optimum vinum usque ad finem convivii. Ergo Christus non expectavit donec omnes scirent vinum defecisse: ergo etiam non reprehendit matrem suam, quia ipsa petiverat miraculum, antequam convivæ scirent vinum defecisse.

Dices: S. Chrysost., hom. 20 in Joan., ad illa verba: *Vinum non habent*, de D. Virgine ita loquitur: « Optabat enim ut jam hominum gratiam conciliaret, et et ipsa clarior filii gratiâ efficeretur, et fortassè aliquid quo humano afflictiatur affectu, quemadmodum et fratres ejus cum dixerunt: *Ostende teipsum mundo*; et cupidi ejus miraculis sibi famam comparare, idèò et asperius respondit: *Quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea.* » Ergo juxta S. Chrysost., idèò D. Virgo petivit miraculum, ut seipsam clariorem faceret per Filium. Atqui hoc redolet vanam gloriam; ergo, etc.

Resp. cum S. Thomâ, 3 p., q. 27, a. 4, ad 3: *In verbis illis excessit Chrysostomus.* Et reverâ multo certius est sanctos Patres aliquando errasse, quam D. Virginem aliquando peccasse.

Dico 2°: Sensus priorum verborum est hic: « Quid mihi est tecum commune ad faciendum miracula? » Ergo enim, ô mulier, quamvis sis mater mea, non tamen à te accepti virtutem faciendi miracula, seu virtutem divinam. »

Probatur ex S. P. Aug., tract. 8 in Joan., dicente:

*Miraculum exigebat mater; at Christus non agnoscit viscerâ humanâ, operaturus facta divinâ; tanquàm dicens: Quod de me faciet miraculum, non tu genuisti.* Similiter dicit D. Gregorius, lib. 8 Epistolarum, ex Registro, epist. 42: *In miraculo, quod ex tuâ naturâ non habeo, te minime recognosco.* Item Beda dicit: *Significat Christus se divinitatem, quâ miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre.*

Rectè censet S. Epiphanius, hæresi 79, Christum ita locutum fuisse, ne postea hæretici ex eo quod Christus miraculum fecisset ex obedientiâ matris, intulissent Mariam esse Deam, adèoque et adorandum cultu latræ.

Auctor Analyseos censet cum S. Chrysostomo, Christum voluisse docere Mariam, ne ad obtinendum miracula interponeret auctoritatem maternam; non quod Maria hoc fecisset, sed quia, si Christus miraculum fecisset sine contradictione, ista patrati miraculi visa fuisset provenire ex obedientiâ et submissione filiali erga auctoritatem maternam, adèoque illam potestatem partim à matre provenire. Debebat ergo ille error deleri, non ex mente D. Virginis, in quâ nunquam fuerat aut futurus erat, sed ex mente discipulorum, quibus aliquando eandem potestatem erat collaturus.

Reprehendit ergo Christus matrem, non quia illa malè fecerat, sed ne alii malè facerent. Sic Jacob, Gen. 27, v. 40, reprehendit filium suum Joseph narantem somnia sua, non quia Joseph peccaverat, sed ne peccarent fratres ejus per invidiam, etc. Sic sæpe prudenter reprehenduntur boni, ut corrigantur mali.

Dico 3°: Posteriori hæc verba: *Nondum venit hora mea*, videntur habere hunc sensum: « Nondum venit hora illa quâ juxta decreta absoluta facturum sum miracula; quia illa hora absolutè decreta est, ut primum miraculum fiat Jerosolymis in proximo Pasche, ibi effici vendentes è templo, et exinde incipiam ministerium meum in Judæâ, et postea, dum incæceratus fuerit Joannes Baptista, incipiam in Galilæâ. »

Dixi: *Juxta decreta absoluta*, non verò juxta decreta conditionata; quia decreverat Deus ut Christus inciperet apertè suum ministerium Jerosolymis adèoque antea in Canâ Galilææ nullum faceret miraculum, nisi Maria petivisset, etc. Decreverat ergo ut in Canâ faceret miraculum, sed non nisi sub conditione, si Mater peteret; aliàs decreverat absolutè, non incipere miracula nisi Jerosolymis. Sic plurima Deus decernit futura, non absolutè, sed sub certâ conditione. Sic decreverat reddere sanitatem Ezechiez ægrotanti, sed non nisi sub conditione, si illum ferventi prece peteret; aliàs enim erat certò mortuus. Et hoc modo omnia à Deo decreta sunt, quæcumque ab ipso precibus obtinemus.

Auctor Analyseos dat præmemoratis verbis hunc sensum, quod nempe verba illa: *Nondum venit hora mea*, non sint intelligenda de horâ faciendi primum miraculum, quia reverâ illa tunc advenerat, sed de

S S XXIII.

tempore incipendi publicè per prædicationes et miracula ostendere se esse Messiam. Rogat autem D. Virgo, ut tempus illud preveniat in favorem paupertatis sponzorum. Hanc petitionem reprehendit Christus, quia mutabatur propositum ejus. Uterque ad virtutem tendit: Maria petendo preveniri tempus ex charitate, Christus negando ex sapientiâ. Rectè facit Christus nolendo splendescere miraculis ante tempus sibi præscriptum; non malè facit Maria petendo tantum unum sine consequentiâ, idque in favorem paupertatis sponzorum. Ita auctor ille.

S. P. Aug., tract. 8 in Joan., intelligit tempus Passionis; quia tempus illud apud Joannem evangelistam cap. 7, v. 30, cap. 15, v. 1, et cap. 17, v. 1, vocatur *hora ejus*. Verba Augustini sunt: « Quod de me faciet miraculum, non tu genuisti; sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim: *Nondum venit hora mea*: ibi te agnoscam, cum pendere in cruce coeperit infirmitas, cujus mater es. » Hæc interpretatio non est rectiendâ; quia potest esse vera simul cum supra dictis.

#### CAPUT X.

##### PRIMUM PASCHA.

Post nuptias in Canâ Galilææ Christus descendit in Capharnaum; deinde vadit Jerosolymam ad celebrandum pascha, ubi primâ vice eiecit negotiatores è templo. Circa dies festos Paschatis Nicodemus, princeps Judæorum, nocturno Jesum adit, et cum eo colloquitur. Post eodectum Nicodemum, relicti Jerosolymis, ivit in terram Judæam, id est, in agros Judææ, cum aliquibus discipulis suis; et illi demorabatur cum eis, et baptizabat. Baptizabat etiam adhuc Joannes, qui, occasione discipulorum suorum amulantium, rursus testatus est, seipso longè superiorem esse Jesum; ac proinde necesse esse cum crescere, se autem minui. Joan. 2, à v. 12 usque ad finem capituli 5. Aliquo post tempore Joannes ab Herode captus, et in carcerem detruditur. Matth. 14, v. 3, Marci 6, v. 17, et Luca 5, v. 19 et 20.

##### QUÆSTIO PRIMA.

*De quo templo Judæi loquantur Joan. 2, v. 20.*

Nota ter edificatum fuisse templum Jerosolymitanum. Primò à Salomone, 3 Reg. 6. Secundo post captivitatem Babylonicam, templum à Chaldeis exustum reedificatum fuit à Zorobabele et sociis ejus, 1 Esdræ 3 et 6. Tertiò reedificatum fuit ab Herode Judæorum rege, qui, ut regnum Judææ sibi suisque posteris assecuraret, novum templum Judæis erexit. Quærit ergo de quo templo Judæi hic locuti sint.

Resp. et dico 1°: Judæi, dum Christo responderunt: *Quadringenta et sex annis edificatum est templum hoc*, non sunt locuti de templo Salomonis.

Prob. 1° quia illud templum fuit absolutum spatio septem annorum: dicit enim Scriptura 3 Reg. 6, v. 38. *In anno undecimo (regni Salomonis) mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni (Vingt-huit.)*

opere suo, et in universis utensilibus suis; edificavitque eam annis septem.

Prob. 2<sup>a</sup>, quia, ut ex contextu clarum est, Judaei agunt de templo quod tunc exstabat: atqui templum Salomonis tunc non amplius exstabat; ergo.

Prob. maj., quia v. 19, Christus existens in templo dicit Judaeis: *Solite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judaei: Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Ex quibus verbis patet quod Judaei intellexerint verba Christi de templo materiali. Atqui non poterant illa intelligere de templo Salomonis; nam illud erat modo diu destructum; ergo similiter in sua responsione, quam ad verba Christi dederunt, non intelligebant istud templum.

Addo quod Judaei utantur pronomine demonstrativo *hoc*: atqui non potest dici *templum hoc*, nec demonstrari, si templum non amplius existat; ergo.

Item, dum Christus stabat ante Caipham, testes accusabant eum quod dixisset: *Ego possum destruere templum Domini, et post triduum reaedificare illud*, Matth. 26, v. 61. Atqui hoc non intelligebatur de templo Salomonis; siquidem nec malum, nec seditiosum, sed dicere: *Ego possum destruere turrim Babyloniam, vel capere civitatem, quae non existat; sed potius stultum est talia dicere*; ergo, etc.

Supersit igitur tantum questio de duplici aliâ edificatione, et circa id triplex est opinio. Prima intelligit de templo à Zorobabele edificato. Pro hac opinione à Lapide in cap. 2. Joan. citat S. Chrysostomum, Bedam, Theophylactum et nonnullos alios. Secunda opinio intelligit de templo ab Herode reaedificato. Ita Baronius ad annum Christi 51. Tertia opinio intelligit de templo Zorobabelis et Herodis simul; et consequenter vult quod Judaei de utraque edificatione locuti sint.

Dico 2<sup>a</sup>: Judaei non fuerunt locuti de annis qui impensi sunt in edificando templo Zorobabelis.

Probat, quia templum Zorobabelis cepit edificari anno secundo Darii Hystaspis, et absolutum fuit anno sexto ejusdem regis; ut liquet ex lib. 4. Esdræ, cap. 4, v. 24, ubi, postquam Josue filius Josedech, et Zorobabel coepissent edificare, dicitur: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, et non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum*. Et, ut dicitur ibidem cap. 6, v. 15: *Compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis adar, qui est annus sextus regni Darii regis*. Deinde in atris et portibus instaurantis adhuc occupati fuerunt usque ad annum nonum regni Darii; ut eruitur ex Josepho, lib. 11 Antiq., cap. 4. Ac proinde hinc patet quod in edificando templo Zorobabelis tantum impensi sint 7 anni completi; et consequenter clarum est quod Judaei non fuerint locuti de annis qui impensi sunt in edificando templo Zorobabelis.

Dico 3<sup>a</sup>: Judaei etiam non fuerunt locuti de utraque edificatione, nempe Zorobabelis et Herodis simul.

Probat, quia templum Herodis edificatum fuit annis 9 et 5 mensibus; ut constat ex Josepho, lib. 13 Antiq., cap. 14, dicente: *Herodes operibus muros, et porticus exteriores curabat, quae, cum octo annos edificasset, templo per sacerdotes in uno anno et quinque mensibus perfecto, omnis populus lætitiâ completus est.* Atqui 9 et 7 tantum faciunt 16; ergo, etc.

Dico 4<sup>a</sup>: Judaei fuerunt locuti de annis qui ab anno 18 regni Herodis in edificando ac instaurando templo usque ad primum Christi Pascha impensi fuerunt.

Probat hæc sententia ex ante dictis, seu ex refutatione aliarum opinionum. Cum enim jam satis clarè demonstratum sit quod præfati 46 anni non possint intelligi de templo Salomonis, nec etiam de edificatione templi Zorobabelis, aut Herodis et Zorobabelis simul; nihil aliud restat quam ut intelligantur de reedificatione et instauratione templi, quæ ab anno 18 regni Herodis inchoavit, et usque ad primum Christi pascha perduravit. Quod autem Herodes anno 18 regni sui inchoavit templum reedificare, patet ex Josepho, lib. 13 Antiq., cap. 14, ubi ait: *Decimo et octavo anno regni Herodes post prædicta ædificia opus novum inchoavit; siquidem Dei templum maximum construere, et multum altum, et decorum erigere judicavit.* Quomodo autem in hæc sententia inveniantur isti 46 anni, dicitur est supra; cap. 7, quest. 5, § 2, prob. 2.

Obj. 1<sup>a</sup>: 46 anni possunt quoque inveniri in edificatione templi Zorobabelis; ergo nihil obstat, quominus de hâc intelligantur verba Judæorum.

Prob. ant. Cyrus regnavit annis 50, et primo anno regni ejus ceptum est edificari templum; ut constat ex 2 Paralip. 36, et 1 Esdræ 1. Post Cyrum regnavit filius ejus Cambyses annis 10. Hinc post victos magos, qui invaserant regnum 7 menses (qui menses à multis non numerantur), successit Darius Hystaspis, cujus anno 6 absolutum est templum. Atqui 50, 10 et 6 faciunt 46; ergo.

Resp. Neg. ant. Primò, quia anni quibus intermissa fuit edificatio non sunt computandi. Nam, si aliquod opus inchoatum esset, v. g., primâ januarii, et deinde à secundâ usque ad trigesimam decembris intermissum, ac postea trigesimâ primâ iterum foisset resumptum et absolutum, non rectè diceretur, in isto opere absolvendo laboratum fuisse uno anno, sed tantum duobus diebus: atqui Judaei, ut constat ex textu, volebant dicere quod in edificando templo laboratum fuisset 46 annis, adeoque quod Christus non potuisset illud edificare spatio trium dierum; ergo, etc.

Secundò, quia nullo modo possunt hic computari 50 anni, quibus dicitur regnasse Cyrus: siquidem templum non cepit edificari anno primo regni ejus, quo regnavit in Perside, sed anno primo, quo post devictum et occisum Baltassarem, ultimum Chaldeorum regem, regnavit in Chaldaea seu Babyloniâ: nam non nisi post captam Babylonem potuit solvere captivitatem Babyloniam, et Judæis dare facultatem reedificandi templi Jerosolymitani. Cyrus autem in

Babyloniâ, seu tanquam supremus monarcha, regnavit tantum 7 annis; ut habet Xenophon, lib. 8 de Pædiâ Cyri. Præterea nec etiam verum est quod Cambyses regnavit annis 10; siquidem juxta communiorē sententiâ regnavit tantum annis 7 et 5 mensibus. Si igitur his annis jungas 7 menses, quibus regnum invaserunt magi, et 9 annos Darii Hystaspis; ab initio regni Cyri in Babyloniâ, usque ad annum nonum regni Darii, quo anno juxta supra dicta templum Zorobabelis quoad omnes suas partes absolutum fuit, tantum invenies annos 24; ac proinde, etiamsi numerari possent anni, quibus intermissa est edificatio, adhuc non invenirentur 46 anni, de quibus locuti sunt Judaei.

Obj. 2<sup>a</sup>: Inveniantur facillè 46 anni pro templo Zorobabelis et Herodis simul: nam dentur Cyro anni 7, Cambysi cum magis 8, et Darii 6, exsurgunt anni 21. Deinde cum Ecclesiastici 50, v. 1 et 2, dicitur: *Simon Onie filius* (de quo 1 Machab. 12, v. 7) *sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsi domum, et in diebus suis corroboravi templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex edificatio et caeli parietes templi, non parum temporis tribuendum est Machabeis pro instaurando et orando templo, cui addendo tempus Herodis, facillè inveniantur 46 anni.*

Resp. Neg. assumpt. 1<sup>a</sup> quia, ut ex ante dictis constat, computus ille non subsistit, eò quod in istis 46 annis etiam includat tempus quo edificatio templi intermissa fuit. 2<sup>a</sup> Si ita computare liceat, certò multo plures, quam 46 anni inveniantur; siquidem ab anno 7, ut 20 Artaverxis usque ad baptismum Christi fluxerunt 69 hebdomadae Daniels, id est, 485 anni, quibus currentibus, certò templi edificium debuit sæpè instaurari ac reparari. Sed de similibus non possunt loqui Judaei; quia reparandorum et instaurandorum edificiorum, non post annos 46, sed nunquam est finis, nisi sint omnino diruta.

Inst. Aggeus propheta, cap. 2, v. 10, de templo Zorobabelis dicit: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ*. Id est: Major erit gloria hujus templi Zorobabelis, quam templi Salomonis, quia nempe in hoc ingredietur Messias; atqui templum, quod ingressus est Christus, erat hoc templum quod Herodes edificavit; ergo Judaei loquuntur de utroque.

Resp. Neg. consequ., quia non loquuntur de templo secundum se totum spectato, sed de isto edificio templi quod ab anno 18 regni Herodis inchoatum fuerat, et jam per 46 annos duraverat, ut completeretur. Hinc

Observa quod licet Herodes domum Dei à fundamentis extruxerit, ut habet Josephus loco supra citato, tamen hæc domus fuerit eadem cum secundâ, seu cum domo Dei à Zorobabele extractâ: siquidem templum Herodianum non ex ruinis excitatum fuit, sed paulatim per partes innovatum, ita ut semper persistenter Sanctum et Sanctum sanctorum; cum nunquam sacer cultus et sacrificia fuerint interrupta. Unde etiam ipsimet Judaei Herodianum templum idem esse ac secundum ubique fatentur, nec templum

eversum à Tito alio unquam vocabulo appellat quam *domum secundam*; ut patet ex Talmud cap. ult. de Synedrio, titulo *Joma*, et titulo *Rasch Haschana*. Cum igitur Herodes non diruerit templum Zorobabelis, sed tantum ampliaverit, illudque suo ineluserit, manifestum est quod propter ingressum et præsentiam Messias major fuerit gloria templi Zorobabelis quam templi Salomonis.

Obj. 3<sup>a</sup>: Juxta Josephum supra citatum Herodes templum suum absolvit spatio 8 annorum; ergo non impedit à Tito alio unquam vocabulo appellat quam *domum secundam*; ut patet ex Talmud cap. ult. de Synedrio, titulo *Joma*, et titulo *Rasch Haschana*. Cum igitur Herodes non diruerit templum Zorobabelis, sed tantum ampliaverit, illudque suo ineluserit, manifestum est quod propter ingressum et præsentiam Messias major fuerit gloria templi Zorobabelis quam templi Salomonis.

Obj. 3<sup>a</sup>: Juxta Josephum supra citatum Herodes templum suum absolvit spatio 8 annorum; ergo non impedit à Tito alio unquam vocabulo appellat quam *domum secundam*; ut patet ex Talmud cap. ult. de Synedrio, titulo *Joma*, et titulo *Rasch Haschana*. Cum igitur Herodes non diruerit templum Zorobabelis, sed tantum ampliaverit, illudque suo ineluserit, manifestum est quod propter ingressum et præsentiam Messias major fuerit gloria templi Zorobabelis quam templi Salomonis.

Inst. Herodes inchoavit edificare anno regni sui 18, et tantum 37 annis regnavit; atqui ab anno 18 usque ad 37 tantum sunt 19 anni; ergo, etc.

Resp. opus fuisse continuatum per successores ejus usque ad annum Christi 50, et nequidem tunc fuisse omnino absolutum: nam narrat Josephus, lib. 20 Antiq., cap. 17, quod tempore Agrippæ regis (quod fuit diu post Christum; quia ille Agrippa factus est rex Jæzorum ab imperatore Caligulâ, post mortem Tiberii, quæ mors contigit anno eræ vulgaris 57), videns populum quod otium jam esset operariis, qui erant ultra decem et octo millia, regi persuaserunt, ut orientalem porticum alius elevarit, *regi autem hæc porticus in exteriori templo posita*. Quod, quia copiosus pecuniarum opus esset; hoc quidem suppliciter fieri denegavit.

#### Quæstio II.

Quid Joan. 3, v. 8, intelligatur per spiritum, qui, ubi vult, spirat.

Resp. et dico 1<sup>a</sup>: Per spiritum intelligitur ventus.

Prob. 1<sup>a</sup>, quia ibidem Christus docet Nicodemum, naturalem spiritalem per baptismum, quâ spiritu nascimur, non esse visibilem, sed solâ fide et mente esse comprehendendam, desumptâ similitudine à vento. *Spiritus*, inquit, ô Nicodeme, id est, ventus, ubi vult spirat, id est, libere, nemine impediendo, omnes mundi partes perlat. *Et vocem ejus, id est, stridorem, et sonitum seu sibilum ejus audis, et nescis unde veniat, aut quò vadat*; id est, non vides illum, et ignoras unde oriatur, aut ex quo loco exciletur; ignoras item quò pergat, etc. *Sic est omnis qui natus est ex spiritu*, quod attinet ad nativitatem spirituales: nam sicut productio ventis, sic spiritualis generatio hominis ignota est; et sicut ventus non visus, sed auditu cognoscitur, sic spiritualis nativitas hominis non visa, sed auditu fidei percipitur.

Prob. 2<sup>a</sup> ex S. Chrysost., hom. 25 in Joan. dicente: *Sensus est quòd quemadmodum ventus non videtur, sentitur tamen; ita spiritualis generatio corporis oculis non comprehenditur.*

Dices 1<sup>o</sup>: Ventus caret voluntate et voce; ergo per spiritum non potest intelligi ventus.

Resp. voluntatem et vocem metaphoricè illi tribui; quod in Scripturâ frequens est.

Dices 2<sup>o</sup>: Benè scitur unde ventus veniat, an ab austro, an ab aquilone; et quò vadat, etc.

Resp. Quamvis id generaliter sciatur, tamen ignoratur locus determinatus et certus, unde flare incipit, et ubi desinit.

Dico 2<sup>o</sup>: T3 spiritus in illo textu etiã accipitur pro Spiritu sancto.

Probat. Quia ita interpretatur S. P. Aug., tract. 13 in Joan., dicens: « Nemo vidit Spiritum; et quomodo audimus vocem Spiritus? Sonat Psalmus, vox est Spiritus. Sonat Evangelium, vox est Spiritus. Sonat sermo divinus, vox est Spiritus. Vocem ejus et audis, et nescis unde veniat, aut quò vadat. Sed si nascaris et tu de Spiritu, hoc eris, ut ille qui non est auctus natus de Spiritu, non sciat de te, unde venias, aut quò eas. » Similiter de Spiritu sancto hunc locum interpretatur S. Gregor lib. 27 Moral., cap. 15, Nazianzenus, et alii.

Dices: Ex jam dictis sequitur quòd Christus fuerit locutus æquivoce, accipiendo spiritum semel pro vento, et semel pro Spiritu sancto.

Resp. Neg. assumpt. Nam non vult intelligi unum sensum tantum, sed utrumque.

Dico 3<sup>o</sup>: Potest etiã intelligi de spiritu humano, hoc sensu: Spiritus hominis, sive animus, ubi vult spirat, et vocem ejus audis. Id est, ubi vult, et quando vult, spirat loquendo, et vocem ab eo efformatam audis; nescis tamen unde veniat in corpus, aut quò vadat ex corpore egressus. Sic omnis qui est Spiritu sancto natus est, est ignotus, ejusque generatio incognita.

#### QUESTIO III.

Quandonam, et ob quam causam Joannes Baptista ab Herode fuerit incarceratus.

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: In describendâ seu enarrandâ incarceratione Joannis Baptiste, nullus evangelistarum servavit ordinem rei gestæ; nam Matthæus et Marcus eam decollationi junxerunt, et consequenter per recapitulationem narraverunt: Lucas verò illam enarravit per anticipationem; siquidem cap. 5 eam describit ante baptismum Christi. Interim tamen cum ex quibusdam Evangelii textibus colligi possit, quandonam circiter hæc incarceration contigerit; hinc

Dico 2<sup>o</sup>: Joannes Baptista ab Herode incarceratus est circa illud tempus quo Christus post primum suum pascha in Judæâ morabatur, et per discipulos suos baptizabat; seu eo tempore quo inter Judæos et discipulos Joannis questio orta est de purificatione, et testimonio præclarissimum à Joanne de Christo datum fuit, Joan. 3, v. 25 et seq.

Probat. Joannes conjectus est in carcerem, antequam Christus pro secundâ vice in Galilæam ex Judæâ discederet per Samariam, et antequam cum Samaritanâ femina colloqueretur; ergo circa illud tempus quo orta fuit ista questio inter Judæos et discipulos

Joannis, contigit ejus incarceration.

Prob. ant. quia Matthæus, cap. 4, v. 12, dicit: *Cum audisset Jesus, quòd Joannes traditus esset, recessit in Galilæam.* Item Marcus, cap. 4, v. 14, ait: *Postquam traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam.* Ex quibus verbis clarum est quòd Christus ex Judæâ in Galilæam non recesserit, nisi post traditionem seu incarcerationem Joannis: adeoque evidens est quòd ista incarceration contigit eo tempore quo Christus in Judæâ morabatur, et per discipulos suos baptizabat.

Dico 3<sup>o</sup>: Causa ob quam Herodes Joannem incarceravit, fuit quòd ab ipso reprehenderetur propter illicitum matrimonium quod cum uxore fratris sui Philippi contraxerat. Hanc causam clarè exprimunt Matthæus, cap. 14, et Marcus, cap. 6; Lucas verò cap. 5, ait, non solum de vetitis nuptiis, sed etiã de aliis flagitiis reprehensum esse à Joanne Herodem. Quæ fuerint illa alia flagitia, non exprimit. *Cum corripere, inquit, Herodes ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus quæ fecit Herodes.*

Dico 4<sup>o</sup>: An Herodes duxerit uxorem fratris sui Philippi mortui, an verò adhuc vivens, ex Evangelio non liquet. Interim verisimilius est quòd eam duxerit. Philippo adhuc vivente.

Prob. 1<sup>o</sup> ex S. Hieron., in cap. 14 Matth., dicente: *Arguit Joannes Herodem quòd illicitas nuptias fecerit, et non liceat fratre vivente germano, uxorem illius ducere.*

Prob. 2<sup>o</sup>: Quia S. Ambros., lib. 5 de Virginitibus, vocat Herodem et Herodiadem *adulteros*; utique non fuissent adulteri, sed tantum incestuosi, si Philippus frater Herodis, tunc fuisset mortuus; ergo Herodes duxit Herodiadem, Philippo adhuc vivente. Unde et Ecclesia in officio decollationis S. Joannis Baptiste legit quòd Joannes argueret Herodem *propter Herodiadem quam tulerat fratri suo viventi uxorem.*

Prob. 3<sup>o</sup>: Quia, licet non sit certum, est tamen probabile quòd Philippus ille, cujus uxorem duxit Herodes, fuerit tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis; atqui iste Philippus tantum obiit anno vigesimo Tiberii, ut patet ex Josepho, lib. 20 Antiq., cap. 6, ubi ita scribit: *Philippus Herodis frater diem suum obiit, anno Tiberii principatus vigesimo, cum ipse præfuisset triginta septem annis Trachonitidis.* Ergo visit ad minus 5 annis post inceptum ministerium Joannis Baptiste, et uno saltem adhuc anno post mortem Christi; ac proinde adhuc vivebat dum Joannes conjectus est in carcerem.

Dices: S. Chrysost., hom. 48 in Matth., affirmat non licuisse fratri ducere fratris defuncti uxorem, si ille liberos reliquisset. Et tunc addit: *Quoniam igitur Herodes uxorem fratris, cujus filia vivebat, duxit; hæc de causâ Joannes criminatur.* Item Tertul., lib. 4 contra Marcionem, ita scribit: *Joannes retundens Herodem, quòd adversus legem uxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam ex illâ, conjectus in carcerem fuerat.* Ergo Herodes non duxit Herodiadem, vivente Philippo.

Resp. Neg. conseq., et ad verba Chrysost., ac Tertul. dico quòd isti doctores hanc questionem nunquam

tractaverint ex professo, sed quòd ipsis satis fuerit asserere Herodem, non obstante morte fratris sui, equidem peccasse contrahendo istud matrimonium. Nam, cum Herodias filiam haberet ex Philippo, scilicet illam saltricem, illud matrimonium ipsi erat illicitum; siquidem fratris etiã mortui, qui prolem reliquerat, uxorem ducere, vetitum erat, Levit. 18, v. 16, et cap. 20 v. 21. Et quamvis Herodes non esset Judæus, tamen quia proselytus erat, tenebatur æquè ac Judæi, istam legem observare.

Ceterum, quia Scriptura non satis clarè exprimit quòd illa filia Herodiadis esset etiã filia Philippi, hinc, S. P. Aug., lib. de Fide et Operibus, cap. 19, dicit: *Ambiguum est utrum Herodes mortui duxerit an vivi fratris uxorem. Ideò non clarè (nempe ex solâ Scripturâ) quid Joannes ei non licere dicebat.*

#### QUESTIO IV.

An Joannes Baptista bis in carcerem missus fuerit.

Existimat Bernardus Lamy in suâ Harmoniâ, seu Concordiâ evangelicâ, quòd Joannes Baptista bis in carcerem missus fuerit. Primò à Phariseis, seu à magno concilio Judæorum, quod vocabatur *synedrium*. Et hæc incarceration contigit quando Christus erat in deserto, estque illa de quâ loquuntur Matthæus, cap. 4, et Marcus, cap. 1. Secundo, uno ferè anno post ab Herode in carcerem conjectus fuit; et de hæc incarceration agunt Matthæus, cap. 14, Marcus, cap. 6, et Lucas, cap. 3. Ita sustinet jam citatus auctor. Sed hæc opinio omninò singularis est, et non tantum communi omnium interpretum sensui, sed ipsi etiã Scripturæ manifestè repugnat. Unde

Resp. et dico: Joannes Baptista tantum semel, idque non à Phariseis, seu à magno concilio Judæorum, sed ab Herode in carcerem conjectus fuit.

Prob. 1<sup>o</sup>, quia certum est quòd Joannes nondum esset captus à synedrio, quando legati Judæorum venerunt ipsum interrogatum quis esset. Atqui hoc factum est post expletum jejuniium Christi; ergo non fuit captus, dum Christus adhuc erat in deserto; ac consequenter dici nequit quòd fuerit captus à Phariseis: nam aliud istius pretensæ captivitatis tempus inveniri nequit; prout etiã admittit citatus Lamy.

Prob. 2<sup>o</sup>, quia Joan. 1, v. 29, Joannes Baptista alterâ die; id est, postridi ejus diei, quâ satisfecerat legationi Judæorum, dedit testimonium de Christo, quia viderat columbam descendentem super ipsum, ibidem, v. 32; adeoque, dum illud testimonium dedit, jam modò illum baptizaverat. Deinde sequenti die dedit iterum testimonium, et tunc Andreas et alius discipulus secuti sunt Christum, ut patet loco citato, v. 35 et seq. Atqui Christus non habuit discipulos, antequam iret in desertum; ergo illa omnia, quæ Joan. 1 narratur de testimonio à Joanne Baptistâ datis, non contigerunt, nisi post expletum jejuniium Christi.

Probat. ultima minor (nempe quòd Christus non haberet discipulos, antequam iret in desertum) ex Luca 4, v. 1, ubi dicitur quòd Christus immediatè post baptismum iverit in desertum. *Jesus autem, ait evangelista, plenus Spiritu sancto regressus est à Jor-*

*dane, et agebatur à Spiritu in desertum.* Et clariss id adhuc exprimit Marcus, cap. 1, v. 12, dicens: *Et statim Spiritus expulit eum in desertum.*

Nec dici potest cum Lamy, quòd Marcus et Lucas non fuerint testes oculati hujus facti; adeoque quòd hi non retulerint iter Christi in desertum eo ordine, quo contigit, sed quo contigisse ab aliis audiverant. Id, inquam, dici nequit; quia æquè ac alii evangeliste, ex instinctu Spiritus sancti scriperunt; ac proinde si in eorum scriptis reperiretur aliquid à veritate alienum, id non tam ipsis, quam Spiritui sancto ascribendum foret. Atqui dicere quòd Spiritus sanctus aliquid ipsis dicitaverit quòd à veritate alienum est, prorsus impium et blasphemum est; ergo, etc.

Prob. 2<sup>o</sup>, quia, juxta opinionem quam sustinet Lamy, perventur verus ac genuinus ordo historice ac concordie evangelice. Nam in primis ipse sic disponit ordinem, ut illa quæ habet Joannes cap. 1, v. 19 et seq. de legatione Judæorum, præcesserit baptismum Christi. Atqui hoc est verum et genuinum ordinem pervertere; ergo, etc.

Prob. 3<sup>o</sup>, quia ex versu 26 omninò manifestum est, quòd ista contigit post baptismum Christi; siquidem ibidem Joannes Baptista ad legatos Judæorum dicit: *Ego baptizo in aquâ; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.* Jam verò Christus de quo ibidem loquitur Joannes, non stetit publicè medius inter Judæos ante baptismum: nam usque ad baptismum egit vitam occultam in Nazareth; ut liquet ex Math. 5, v. 15, et Marci 4, v. 9. Ergo manifestum videtur quòd juxta opinionem Lamy pervertatur verus et genuinus ordo historice ac concordie evangelice.

Deinde idem auctor docet quòd prima vocatio Petri et Andreæ contigit ante jejuniium, seu iter Christi in desertum; atqui hoc est rursus verum ac genuinum ordinem pervertere; nam, ut supra ex Marco et Luca monstratum est, Christus immediatè, seu statim post baptismum in deserto recessit; ergo inter baptismum et iter in desertum, nullo modo interponi potest vocatio Petri et Andreæ.

#### Solvuntur argumenta

Obj. 1<sup>o</sup>: Clarum videtur ex Matth., cap. 4, v. 12, et Marci, cap. 1, v. 14, quòd immediatè post egressum ex deserto Christus audiverit Joannem esse captum, idèque recesserit in Galilæam; ergo captus est eo tempore quo Christus erat in deserto; atqui postea, dum Christus baptizabat in Judæâ, Joannes erit liber; nam et ipse tunc baptizabat in Ennon juxta Salim, ut dicitur Joan. 3, v. 23. Ergo Joannes Baptista fuit bis captus.

Resp. Neg. maj. Nam Matthæus tantum dicit: *Cum autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, recessit in Galilæam.* Marcus verò: *Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam predicans, etc.* Quæ verba non significant quòd Christus immediate post egressum ex deserto audiverit Joannem esse captum, sed tantum denotant quòd recesserit in Galilæam; quando ipsi nuntiatum erat quòd Joannes ab Herode incarceratus esset. Itaque, cum Matthæus et

Marcus omittant illa omnia quae peracta sunt inter egressum ex deserto, et captivatem Joannis, post narratas tentationes narrat immediate secundum iter Christi in Galilaeam, capto Joanne, volentes sic incipere ministerium Christi à finito ministerio Joannis.

Inst. 1<sup>o</sup>: Lucas, cap. 4, v. 15, dicit: *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. Et egressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilaeam, et fama exiit per universam regionem de illo.* Atqui certum est apud omnes quod Lucas loquitur de eodem itinere Christi in Galilaeam, de quo agunt Matthaeus et Marcus; ergo Christus immediate post egressum ex deserto ivit in Galilaeam; et consequenter etiam tunc audivit Joannem esse captum.

Resp. Neg. conseq., quia Lucas tantum dicit quod consummata omni tentatione, sen immediate post tentationem diabolus à Christo recesserit, usque ad tempus; et tunc subjicit secundum iter Christi in Galilaeam, omittens similiter omnia illa quae de primo itinere, etc. habentur Joan. 1, 2 et 5. Hinc S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 18 ad praefatum argumentum respondet hoc modo: *Intelligitur hos tres evangelistas (nempe Matthaeum, Marcum et Lucam) non Joanni evangelista contraria narrasse, sed praeter terminis primum Domini adventum in Galilaeam et posteaquam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum; tunc enim nondum traditus erat Joannes: cum vero adventum ejus in Galilaeam contempsisse narrationibus suis, qui post Joannem traditum factus est, de quo ejus reditu in Galilaeam et etiam ipse Joannes evangelista (cap. 4) sic loquitur: *Ut ergo cognovit Jesus quia audierat Pharisaei quod Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus), reliquit Judaeam, et abiit iterum in Galilaeam.* Tunc ergo intelligimus jam traditum fuisse Joannem, et Judaeos verò audisse quod plures discipulos faceret et baptizaret quam fecerat et baptizaverat Joannes.*

Inst. 2<sup>o</sup>: Matthaeus, cap. 4, v. 12, non agit de secundo, sed de primo itinere Christi in Galilaeam; atqui primum iter contigit paulò post egressum Christi à deserto; ergo, etc.

Prob. ant., quia Matthaeus agens de itinere Christi in Galilaeam, dicit illum eò ivisse ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: *Terra Zabulon et terra Nephthaliim, via maris trans Jordanem, Galilaea gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, etc.* Atqui Matthaeus illam prophetiam non attribuit secundo itinere, sed primo; ergo non de secundo, sed de primo itinere agit.

Resp. Neg. maj., et min. probationis: Nam, cum Christus in primo itinere modico tempore in Galilaea moratus fuisset, et nihil speciale fecisset, praeter miraculum in Cana Galilaeae, nondum inceperat illic predicare Evangelium; adeoque pro primo itinere evangelista non habebat rationem dicendi, quod Galilaei vidissent lucem magnam, etc. Atverò cum post secundum iter Christus ibidem inceperat publice praed-

dicare, Galilaei lucem Evangelii viderunt, et ideò secundo itinere prophetiam Isaiæ attribuit Matthaeus.

Obj. 2<sup>o</sup>: Matth. 17, v. 12, Christus dicit de scribis et Pharisaeis: *Fecerunt in eo (scilicet Joanne Baptista, ut patet ex versu 15) quaecumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.* Ergo Pharisaei Joannem incarcerationem.

Resp. Neg. conseq. Quia ex verbis Christi tantum sequitur quod scribae et Pharisaei Herodi suaserint ut Joannem incarcerationem, et deinde Herodiadi, ut illum occideret. Unde sensus verborum Christi est hic: Scribae et Pharisaei Joannem Baptistam vitia eorum carpentem, ex ira et odio persecuti sunt, et tradiderunt Herodi, qui eum querebat ad necem, ac tandem occidit ipsis applaudentibus. Sic et *Filius hominis passurus est ab eis*; id est: Pari modo me, ipsorum scelerata increpantem, persequentur, et cruciandum seu occidendum tradent.

Obj. 3<sup>o</sup>: Christus, auditi Joannis incarcerationem, ex Judaea recessit in Galilaeam, ne et ipse quoque incarcerationem; atqui, si apud Matthaeum, cap. 4, ageretur de incarcerationem facta ab Herode, non fuisset in Galilaeam; siquidem non in Judaea, sed in Galilaea regnabat Herodes; adeoque ibidem in ipsius manus haud dubie incidisset; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Nam Joannes ab Herode incarcerationem fuit, postquam à scribis et Pharisaeis apud ipsum accusatus fuerat: illi enim à Joanne scriberet reprehensi, vocatiue *progymias riparum*, Matth. 3, v. 7, exacerbat suggesterunt Herodi, quem seclant Joanni offensum, ut Joannem eaperet et incarcerationem. Christus igitur audiens quod Joannes incarcerationem esset, fugit ex Judaea in Galilaeam, metuens ne pari modo à Pharisaeis, in Judaea degentibus, traderetur Herodi. Ipsum verò Herodem, in Galilaea regnantem, non timuit Jesus, quia eum non offenderat, ut offenderat Joannes, reprehendens ipsum de illicito matrimonio cum Herodiade contracto.

#### CAPUT XI.

Post incarcerationem S. Joannis Baptista Christus recessit à Judaea in Galilaeam, Matth. 4, v. 12, Marci 1, v. 14, et Joan. 4, v. 1. Transiens autem per Samariam, mulierem Samaritanam, cum multis aliis civibus, ad fidem convertit. Indè digressus venit in Cana Galilaeae, ubi filium reguli agrotantem Capharnaï, absens sanat, Joan. 4, v. 4 usque ad finem capituli. Ex Cana declinans patriam suam Nazareth, habitaturus venit Capharnaum. Hinc peragravit Galilaeam predicando, et ad mare Tiberiadiis vocat Petrum et Andream, Jacobum et Joannem, Matth. 4, v. 15 et seq.; Marci 1, v. 15, et Lucæ 3, v. 1 et seq. Cum istis ingressus Capharnaum, demonium eiecit, et socrum Petri febricitantem sanat, Marci 1, v. 21, et Lucæ 4, v. 31 et seq. Indè egressus circumibat Jesus totam Galilaeam, praedicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem, etc., Matth. 4, v. 25. Reversus Capharnaum sanat paralyticum; et indè egrediens ad mare, vocat Matthaeum à telonio, Matth. 9, v. 1 et seq.

Marci 2, v. 1 et seq.; Lucæ 5, v. 18 et seq. A litore maris Christus discedit suscitaturus filiam Jaira, et in via sanat haemorrhoisam, et domi filiam à morte suscitavit, Matth. 9, v. 18; Marci 5, v. 22, et Lucæ 8, v. 41.

#### QUÆSTIO PRIMA.

Quo anni tempore Christus locutus fuerit cum muliere Samaritanâ.

Resp. Videtur cum hac muliere locutus fuisse circa finem mensis novembris, aut circa initium decembris.

Probatur. Illa locutio facta est 4 mensibus ante messem; atqui messis incipiebat in Judaea die 16 mensis nisan, qui mensis correspondebat partim nostro martio, et partim aprili; ergo, etc.

Major videtur certa; quia, Joan. 4, v. 35, dicit Christus discipulis suis: *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* Quare

Prob. min. ex Josue 5, v. 10, ubi de filiis Israel dicitur: *Fecerunt phase, quartâ decimâ die mensis (scilicet nisan) ad vespertim in campestribus Jericho; et comederunt de frugibus terrae die altero, azymos panes, et potantem ejusdem anni. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terrae, nec usi sunt ultra cibis filii Israel, sed comederunt de frugibus presentis anni terre Chanaan.* Ergo die 16 mensis nisan modò erat plena messis, ita ut possent fieri panes ex novo frumento. Unde Origenes, in cap. 4 Joan., dicit: *Messis incipit fieri in Judaea circa mensem Nisan, quando agitur pascha, adeò ut aliquando asyma faciant Judaei ex novo frumento.* Id tamen intellige de confectione panis azymi, quem coquebant post secundum diem azymorum; nam antea metere non licebat.

Putat quidem Maldonatus cum quibusdam aliis illum textum esse proverbium, significans adhuc sat temporis esse, ut de re aliqua, v. g., de messe corporali cogitetur; at id de messe spirituali dici non posse, cum illa jam sit matura, et mox à Christo et discipulis demetenda, id est, peragenda conversio Samaritanorum. Sed undenam illa proverbialis locutio oritur, ut ubinam in Scripturis fundetur, non facile invenitur. Quare

Meliùs S. Aug. et alii, inquit à Lapide, haec ad litteram, ut sonant, accipiunt. Et certè nihil obstat, quominus ad litteram accipiantur. Vos, ait Aug., tract. 15 in Joan., *quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo.* Unde subdit Christus: *Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albae sunt jam ad messem.* Regiones albas ad messem vocat urbem Sichem, locaque vicina Samaritanorum, qui à muliere excitati, turmatim confluebant ad Christum. Quasi diceret: Videtis hos agros, non tritico, sed turba populi ad me confluentis, refertos, qui paratus est meam doctrinam accipere, in Ecclesiam admitti, et christianismo initiari: huic ergo messi, ne pereat, demetendâ mecum, o Apostoli, insisite, et strenuè collaborate. Longè, puta ad 4 menses, abest messis tritici; at

instat, et propè est messis animarum: En jam parata est in hisce Samaritis, etc. Ita à Lapide. Ex jam dictis

Collige 1<sup>o</sup> quod Christus post primum suum pascha in Judaea moratus fuerit mensibus septem locustis.

Collige 2<sup>o</sup> quod, cum hoc colloquium cum muliere Samaritanâ contigerit paulò post incarcerationem S. Joannis Baptista, ut constat ex Joan. 4, v. 5 collato cum Matth. 4, v. 12, Joannes fuerit incarcerationis 5 circiter mensibus ante secundum Christi pascha.

#### QUÆSTIO II.

An et quare Christus inceperit predicare post captum Joannem.

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Christus tantum inceperit publice predicare post incarcerationem S. Joannis Baptista.

Prob. 1<sup>o</sup> ex Marci 1, v. 14, ubi dicitur: *Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilaeam, praedicans Evangelium regni Dei.* Et clariùs adhuc loquitur Matthaeus cap. 4, ubi post narratam incarcerationem Joannis, et iter Christi in Galilaeam, subdit, v. 17: *Et exinde cepit Jesus predicare.*

Prob. 2<sup>o</sup> ex Lucæ 25, v. 5, ubi dicitur Judaei Pilato: *Commovet populum, docens per universam Judaeam, incipiens à Galilaea.* Item, Act. 10, v. 57, S. Petrus de praedicatione Christi dicit: *Incipiens à Galilaea post baptismum quod predicavit Joannes.*

Nec obstat quod Christus antea docerit in Judaea, per discipulos baptizaverit, et apud Samaritanos concionatus fuerit; quia Christus tunc in Judaea adhuc non egit publicum praedicatorum, sed tantum quasi occasionaliter aliqua dixit; nec etiam tunc habuit discipulos sibi firmiter adherentes, ut dicitur quæst. seq. Similiter apud Samaritanos non nisi obiter concionatus est; sed postquam traditus est Joannes, cepit publice concionari, populum congregare, discipulos fixos habere, etc. Ac proinde publica ejus praedicatione tunc tantum inceperit.

Dico 2<sup>o</sup>: Ratio ob quam Christus tantum inceperit post Joannem publice predicare, videtur esse hæc, quod praedicante Joanne, adhuc sonarent ora prophetarum, Christum prophetantium. Ubi autem ultimus veteris legis propheta tacuit, venit ille ob quem omnes prophetae prophetaverant. Unde pulebrè Rupertus in cap. 4 Matth.: *Quantùm Joannes propheta, nequaquam Jesus publice praedicationis officium subit. Sed postquam in traditione ejus clausum est os prophetarum et legis: Joannes enim, et propheta et lex, usque ad Joannem, prophetaverunt (Matth. 11, v. 15), tunc demùm id quod prophetae fuerat, successit; id est, Evangelium Christi effulsit.* Itaque, cum usque ad incarcerationem S. Joannis multifariam multisque modis, Deus locutus fuisset patribus in prophetis; jam illis tacentibus, inceperit nobis loqui in Filio suo, quando Christus in Galilaea publice suam praedicationem inchoavit.

## QUESTIO III.

Quoties Christus vocaverit Petrum et Andream.

Ex Evangelio S. Joannis, cap. 1, v. 37 et seq., manifestum est quod Petrus et Andreas à Christo fuerint vocati, dum ipse post devictas diaboli tentationes venerat ad Joannem, ab eoque declaratus fuerat *Agnus Dei*; et hæc fuit prima illorum vocatio. Deinde iterum vocati sunt ad mare Galilæe seu Tiberiadis; et habetur Matth. 4, Marci 2 et Lucæ 5; et ista est altera eorum vocatio.

Admittunt omnes illos apostolos his fuisse vocatos; sed an tantum his fuerint vocati, hæret in questione; et dependet ab eo, an vocatio quam describit Lucas, sit una et eadem cum illâ quam describit Mattheus et Marcus. A Lapide, Tirinus et nonnulli contendunt quod tantum his fuerint vocati; Maldonatus vero, Haymo, Dionysius Carthusianus et Hugo cardinalis sentiunt eos ter fuisse vocatos; et horum sententia videtur verisimilior, atque

Prob. 1<sup>o</sup> ex S. Thomâ in cap. 4 Matth. ita scribente: « Sciendum quod trina fuit vocatio apostolorum; primò enim vocati sunt ad Christi familiaritatem, et illud dicit Joan. 1; et hoc in primo anno prædicationis Christi. Nec obstat quod dicitur post: « *Ascenderunt cum eo discipuli ejus in Cana Galilæe*; et quia secundum Aug. non tunc erant discipuli, sed futuri erant, sicut si dicitur quod Paulus apostolus natus fuerit in Tharsos Cilicia; cum non esset apostolus. Vel dicendum quod loquitur de aliis discipulis, qui vocantur omnes credentes in Christo. « Secundo vocati fuerunt ad discipulatum, et de istâ dicitur Lucæ 5. Tertia vocatio fuit ut totaliter Christo adhererent, et de istâ hic (nempe Matth. 4) dicitur; quod patet secundum Augustinum, quia Lucæ 5 de hoc habetur: *At illi*, etc. Ergo habebant et navim, et curabant de eâ, quasi ad eam redituri. « Hic verò dicit *Atqui illi, relictis omnibus*, etc. Et de ideò dicendum quod de ultimâ sequela loquitur hic. »

Prob. 2<sup>o</sup> ex S. P. Aug., qui, lib. 2 de Cons. evang., cap. 17, hæc questionem ex professo discutit et resolvit: « Queritur potest (inquit S. doctor) quo modo binos vocaverit de naviculis piscatores; primò Petrum et Andream, deinde progressus paululum et alios duos filios Zebedæi, sicut narrat Mattheus et Marcus, cum Lucas dicat ambas eorum naviculas impletas magnâ illâ capturâ piscium, sociosque Petri commemoret Jacobum et Joannem filios Zebedæi vocatos ad adjuvandum, cum retia extrahere et plena non possent, simulque miratos tantam multitudinem piscium quæ capta erat. Et cum Petro tantum dixisset: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*; simul eum tamen subductis ad terram navibus secutos fuisse. Unde intelligendum est hoc et primò esse factum quod Lucas insinuat. Nec tunc eos à Domino vocatos, sed tantum Petro fuisse predictam quod homines esset capturus. Quod non ita dictum est, quasi jam pisces nunquam esset capturus. Unde datur locus intelligere eos ad capturam

piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Mattheus et Marcus narrat, quando eos binos vocavit, et ipse jussit ut eum sequerentur, primò duobus Petro et Andream, deinde aliis duobus filiis Zebedæi. Tunc enim non subductis ad terram navibus tanquam curâ redeundi, sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem ac jubentem ut eum sequerentur. »

Prob. 3<sup>o</sup> quia tempus et circumstantiæ, in quibus istæ vocationes contigerunt, omninò insinuant quod vocatio quam describit Lucas, sit diversa ab illâ quam describit Mattheus et Marcus. Etenim Lucas dicit apostolos illos vocatos esse à Christo, dum ad evitandam compressionem turbarum irruentium in eum, descenderat in naviculam Petri ad docendum turbas sedentes in littore; quo facto, jussit Petrum mittere retia in mare, et eo jactu tanta fuit capta piscium multitudo, ut deberent vocare socios in auxilium, scilicet Joannem et Jacobum: qui cum venissent, repperunt ambas naviculas piscibus; cunctaque ob miraculum hærerent attoniti, ait ad Simonem Jesus: *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens*. Ad eoque apud Lucam vocati illos, existens in navicula, et quidem ferè solum Petrum, quamvis illi accesserit Andream, Jacobus et Joannes.

Atverò juxta Mattheum et Marcum vocavit Petrum et Andream separatim, ambulans juxta mare. Et progressus inde paululum, vidit Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus..., et statim vocavit eos, Marci 1, v. 16 et seq. Illi autem quatuor, omnibus relictis, ipsorum secuti sunt; ergo tempus et circumstantiæ in quibus illæ vocationes contigerunt, satis clarè insinuant quod vocatio quam narrat Lucas, diversa sit ab illâ quam narrat Mattheus et Marcus.

Obj. 1<sup>o</sup>: Est contra honorem apostolorum quod debuerint tertio vocari; ergo dici nequit quod vocatio de qua apud Lucam, cap. 5, sit diversa ab illâ de qua apud Matth. cap. 4, et Marcum, cap. 1.

Resp. id non plus esse contra ipsorum honorem, quam quod debuerint bis vocari: nam sicut Christus ipso primâ vice, scilicet Joan. 1, non vocavit ut sibi indivisè adhererent, ita nec secundâ vice, videlicet Lucæ 5, illos tali modo vocavit, sed id fecit Matth. 4 et Marci 1. Ipsum igitur indivisè secuti sunt, dum ita vocati fuerunt, ut relictis omnibus rebus, eum perpetuò sequerentur. Imò, ut non male observat Maldonatus, duæ priores vocationes, non strictè dictæ vocationes, sed admonitiones, et quasi futuræ vocationis preparationes appellande sunt.

Obj. 2<sup>o</sup>: S. Lucas, cap. 5, v. 11, dicit: *Relictis omnibus, secuti sunt eum*. Atqui idem habet Marcus et Mattheus; ergo vocatio, de qua Lucas, est eadem cum vocatione de qua alii duo.

Resp.: Nego consequ., quia, quamvis Lucas illa verba subjungat immediatè illi vocationi de qua agit; tamen inde non sequitur quod, post illam omnium relictio acceiderit: nam Lucas ibidem omittit tertiam vocationem, sicut omittit, cap. 2, fugam in Ægyptum, etc.; et immediatè post purificationem dicit

Mariam et Josephum ivisse habitatum stabiliter in Nazareth, cum tamen id contigerit diu postea. Quare sicut ex S. Lucâ non sequitur quod Joseph et Maria immediatè post purificationem iverint in Nazareth; ita similiter non sequitur quod Petrus et Andreas immediatè post illam vocationem, relictis omnibus, secuti fuerint Christum.

Post tertiam apostolorum vocationem Christus cum ipsis, Marci 1, v. 21, ingreditur Capharnaum, et sabbato in synagoga demoniacum liberat: quo liberato, v. 29, protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andree, cum Jacobo et Joanne, et socrum Simonis fabricantem Jesus sanat. Circa hoc

Petes: Quo sensu apud Lucam, cap. 4, v. 59, ubi eadem historia refertur, dicitur: *Et stans super illam, imperavit febrî; et dimisit illam*.

Resp. id non dici eo sensu, quasi Christus pede illam calcârit, sed super idem est, ac juxta illam, ita ut modicè inflexo capite versis illam, quasi incubuerit super eam, velut compellans, jubensque elevatâ manu ut surgeret; ac febrî, ut discederet. Addit Lucas: *Imperavit febrî*, hoc est, cum validâ auctoritate et quasi comminatione jussit febrî ut faceretur. Ita à Lapide in cap. 8 Matth., v. 15.

## QUESTIO IV.

Quomodo sanatus fuerit paralyticus.

Mattheus narratur sanationem paralytici, cap. 9, v. 1, ait quod Christus transfretaverit, et venerit in civitatem suam, et quod ibidem ipsi obtulerint paralyticum jacentem in lecto. Per civitatem suam Sedulius intelligit Bethlehém, in qua natus erat Christus; nonnulli alii intelligunt Nazareth: in hæc enim fuit educatus. Verùm cum Marcus, cap. 2, v. 1, ubi eandem historiam narrat, dicat quod Christus iterum intraverit Capharnaum; meliùs hæc dicitur civitas Christi: quia ibi frequenter versatus est: eò enim migravit habitacionis causâ; ut patet ex Matth. 4, v. 15, ubi dicitur: *Et relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum*. Unde S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 25, agens de hæc historia, ita scribit: *Quis dubitaverit, hæc in civitate suâ fecisse Jesum, cum hoc fecerit in Capharnaum civitate Galilæe?*

Porro de sanatione paralytici subjungit Mattheus, v. 2: *Videns Jesus fidem illorum*, scilicet offerentium paralyticum; ut exponit S. Hieron., et ex narratione aliorum evangelistarum, maximè Lucæ, c. 5, v. 20, videtur colligi. Hæc enim tum ad plenam sanitatem corporalem, tum ad penitentiam peccatori impetrandam, prodesset potest. Fidem tamen ipsius paralytici etiam adfuisse, probat S. Chrysost. hæc ratione: neque enim se portare, et per tectum dimitti sustinisset, nisi salutem sperasset. Et reverâ nunquam à Christo audisset sibi remissa peccata, nisi propriam fidem habuisset; aliena enim fides peccata delere non potest. Per fidem autem hic videtur intelligi non solum assensum in id quod de Christo credendum erat, sed simul fiducia impetrandi, quæ ex fidei firmitate nasci solet.

Porro antequam Christus paralyticum sanaret, dixit illi: *Remittuntur tibi peccata tua*; ob quæ verba cum scandalizarentur scribe, eò quod nimirum Christus sibi arrogaret quod soli Deo proprium est, scilicet propriâ auctoritate dimittere peccata: respondet illis Dominus, Matth. 9, v. 5: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge et ambula?* Si nuda verba spectes, inquit Jansenius, acq̃ue faciliè est utrumvis dicere: si rem, longè difficilium est dimittere peccata, quàm corpori etiam propriâ auctoritate sanitatem dare, juxta illud August., tract. 72 in Joan: *Justificatio impij majus est opus, quàm celum et terra. Itaque quid facilius est dicere*, ita scilicet, ut dicentis auctoritas non periclitetur, neque mendacii argui possit: tam dicere, *dimittuntur tibi peccata*, obscura veritatis est quæ credi debeat, ut videri non possit, etiam tum quando verè dimittuntur. Dicere verò, *surge et ambula*, mox palpabilem requirit probationem sanitatis consequens: alioquin temeritatis ac mendacii confestim ex re ipsâ arguetur. Non ergo Christus asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorē remissione peccatorum; sed ex veritate assertionis de re visibili, ubi effectus mox adesse debet, probat sibi etiam esse credendum assentienti invisibilem remissionem, quam quavis faciliè fatetur posse sine periculo convincendæ falsitatis: nam ut reflectit S. Chrysost., hom. 30 in Matth., alterum horum latet, alterum patet. Quod, quamvis minus sit in se, est tamen manifestius, ut illud majus et invisibile fiat certius et magis confirmetur.

Hunc sensum postulat id quod sequitur v. 6. *Ut autem sciat, etc.* Id est, ut id quod latet, ac temerè dictum à me arbitrarij, in eò quod oculis patet, etiam verum esse intelligatis: *Tunc ait paralytico*. Hæc verba sunt evangelistæ, volentis simul rem gestam et verba Christi intexere, ait à Lapide. *Surge et tolle lectum tuum*; ut quod erat testimonium infirmitatis, fiat probatio sanitatis; et *vade in domum tuam*; ne phantasticum putetur id quod factum est.

## QUESTIO V.

De vocatione S. Matthæi.

Mattheus suam vocationem et conversionem, c. 9, v. 9, describit hoc modo: *Et, cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, etc.* Fuit igitur S. Mattheus telonarius. Tales homines erant Judæis valde exosi; unde et publicani vocabantur, quasi publici peccatores; vel potius publicantes pecuniam hominum, vulgò *confiscantes*.

Eadem vocatio et conversio Matthæi narratur Marci 2, v. 14, et Lucæ 5, v. 27. Nam locus et tempus conveniunt. Primò locus, quia Mattheus dicit illam vocationem contigisse prope civitatem Christi, quæ erat Capharnaum. S. Marcus expressis verbis habet quod contigerit prope Capharnaum; et idem S. Lucas insinuat loco præcitato.

Secundo, convenit etiam tempus: nam singuli tres evangelistæ dicunt illam vocationem contigisse post curationem paralytici, quando Jesus egrediebatur, vel egressus fuerat Capharnaum: ergo est

una eademque vocatio, quæ à singulis tribus refertur.

Tertiò, conveniunt etiam circumstantiæ: nam singuli tres dicunt quòd ille publicanus quem Jesus tunc vocavit, fecerit illi magnum convivium, ideòque murmuraverint Pharisei, dicentes discipulis: *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Ergo publicanus ille, quem Marcus et Lucas vocant *Levi*, est idem qui *Matthæus*.

Dices: *Matthæus* seipsum nunquam appellat *Levi*, et alii evangelistæ ipsum nunquam appellant *Matthæum*, dum narrant hanc vocationem; et tamen numerant *Matthæum* inter duodecim apostolos, et nullam *Levi*: Ergo signum est quòd *Matthæus* publicanus sit diversus à *Levi* publicano.

Resp. Neg. consequ. Quia S. *Matthæus* videtur fuisse binominis; et verisimiliter ante conversionem fuit appellatus *Levi*, postea verò *Matthæus*; sicut S. *Petrus* prius fuerat appellatus *Simon*. Itaque Marcus et Lucas, narrantes hanc conversionem, dant ipsi nomen quò tunc vocabatur: dum verò illum numerant inter apostolos, dant illi nomen *Matthæus*, quò vocabatur post conversionem.

Petes quis sit sensus horum verborum Christi: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

Resp. Verba illa admittunt triplicem sensum: Primò, S. *Chrysost.*, homil. 31 in *Matth.*, dicit hæc dicta esse ironice. Et *Theophylactus*: *Per ironiam*, inquit, dicit *Dominus*: *Non veni vocare justos, hoc est, eos, à Phariseis et scriba, qui justificatis vosmetipsos.* S. *Ambros.*, in cap. 5 *Luce*, dicit: *Illos non vocat Christus qui se justos dicunt, usurpatores justitiam non vocantur ad gratiam.* Similiter loquitur S. *Chrysologus*, serm. 28: *Sic dicens Dominus, non reputat justos; sed injustos, qui se justos mentiebantur, exclusit.* Eundem sensum tradunt S. *Hieron.* in cap. 9 *Matth.* et *Rupertus* in eundem locum. Itaque juxta mentem horum doctorum verba Christi habent hunc sensum: *Non veni vocare justos, id est, eos qui se justos putant falsà quâdam justitiâ, et medico sibi opus non esse arbitrantur; sed peccatores, qui suam agnoscunt aegritudinem, et sanari volunt.*

Secundò, D. *Thom.*, *Lyranus* et *Abulensis* dicunt Christum agere de vocatione ad poenitentiam: nam *Lucas*, cap. 5, sic illa verba refert: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.* Justi autem non indigent vocatione ad poenitentiam per quam primam gratiam consequantur, juxta illud *Luce* 15: *Gaudium erit in celo super unum peccatorem poenitentiam agente quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia.* Juxta hanc interpretationem sensus est: *Non veni ad vocandos sanos ad medicinam, sed ægros; non veni vocare justos, qui gratiâ Dei præditi sunt, ad poenitentiam, per quam gratiam primam adipiscantur, sed peccatores.*

Tertiùs sensus est: *Non veni vocare justos, quia nulli per se sunt justi, qui non indigeant meo ad-*

ventu: omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei, ad Rom. 5. Unde *Theophylactus* ita exponit: *Non veni vocare justos, nullos enim invenio; quare doquidem omnes peccant. Quòd si possibile esset invenire justos, non venissem, etc.* Tertius hic sensus (qui non excludit primum sensum) suadet ex eo quòd *Christus* varios, actualiter justos, vocaverit, ut *Nathanaelem*, et verisimiliter multos ex apostolis ac discipulis S. *Joannis Baptistæ*.

#### QUESTIO VI.

*Qualis fuerit mulier, que sanata est à profluvio sanguinis.*

Post vocationem et conversionem S. *Matthæi*, discipuli *Joannis*, à Phariseis verisimiliter instigati, inquirunt quare discipuli Christi non jejunent. Quartam questionem ubi *Dominus* satisfacit, discedit à littore maris suscitaturus filiam *Jairi*; et in viâ sanat mulierem à profluvio sanguinis. Quòd verò sanatio hujus mulieris, et suscitatio filie *Jairi* immediate contingit post istam questionem, quam discipuli *Joannis* Christo proposuerunt, clarò patet ex verbis *Matthæi*, cap. 9, v. 18: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, etc.* Hoc est, dum *Christus* Phariseis et discipulis *Joannis* respondebat, tunc *Jairus* synagoga princeps accessit. *Lucas*, cap. 8, v. 22, et *Lucas*, cap. 8, v. 41, hanc historiam quidem alio loco collocarunt; sed tamen à *Matthæo* non discordarunt; quia ipsi temporis ordinem non fuerunt secuti.

Videtur autem divinâ dispensatione factum esse, quòd prædicta mulier in viâ sanata sit, ut scilicet per hoc miracula fides archisynagoga cresceret et confirmaretur. Juxta *Eusebium*, lib. 7 *Histor.*, cap. 14, mulier hæc fuit ex *Cæsareâ* *Philippi*, et ante domum suam in perpetuum tantî beneficii monumentum erexit Christo statuum juxta quam ejus etiam mulieris statua erat fletens, et fimbriam Christi tangens. Hæc statua adhuc erat tempore *Eusebii*, qui dicit se illam vidisse, et ad basin ejus crevisse herbam habentem vim medicandi omnibus morbis. Addit *Zozomenus*, lib. 5, cap. 20, *Julianum* apostatam monumentum illud deiecis, suamque statuum in eodem loco posuisse: *Quam*, inquit, *ignis violentus de celo delapsus circumter pectus dissecuit, caputque unâ cum collo in terram dejecit.*

Dices: S. *Ambros.* in *Proverbiis* lib. 6 *Salomone*, cap. 5, senit quòd hæc mulier fuerit *Martha*, soror *Lazari*; nam ibidem dicit: *Christus dum largum in sanguine fluxum siccat in Martha, dum demones pellit in Maria, dum corpus redidit spiritus calore et constringit in Lazaro, et quòd mors sibi vindicavit et ad penam, lux denuò recipit ad vitam.*

Resp. *Martham* fortè etiam à tali morbo curatam fuisse, sed non hoc loco; unde etiam *Ambrosius* nullibi dicit quòd *Martha* sit mulier illa evangelicæ de qua agitur. Et quamvis S. *Ambrosius* istius opinionis fuisse, major tamen in hæc parte videtur deferenda fides *Eusebio*. Nam, cum hic *Cæsareensis* episcopus

pus fuerit, et in *Asiâ* habitaverit, res illa ipsi facilis et melius potuit innotescere, quam S. *Ambrosio*.

Postquam præfata mulier sanitati restituta erat, statim de morte filie archisynagoga, *Marci* 5, v. 35, nuntii venerunt, et veniens *Jesus* in domum *Jairi*, nemine inotissimo, nisi *Petro*, *Jacobo* et *Joanne*, filiam duodeennem jam mortuam, ad vitam revocat. Circa hoc

Petes quomodo *Matthæus* verè poterit scribere quòd *Jairus* Christo dixerit: *Filia mea modo defuncta est*; quandoquidem postea tantum mortua sit, ut patet *Marci* 5, v. 35. Unde etiam hic evangelista, v. 25, refert *Jairum* dixisse: *Filia mea in extremis est.*

Resp. *Matthæum* non quid *Jairus* dixerit, retulisse, sed quid cogitaverit et voluerit, attendisse: filiam enim, quam in extremo reliquerat, obiisse cogitabat, et ad vitam revocari volebat. Unde S. *P. Ang.*, lib. 2 de *Cons. evang.*, cap. 28, de hæc re ita scribit: *Attendit (Matthæus) non verba patris de filia, sed quod est potissimum, voluntatem; et talia verba posuit, et qualis voluntas erat. Ita enim desperaverat, ut potius vellet eam reviviscere, non credens vivam posse inveniri quam morientem reliquerat. Duo itaque (nempe Marcus et Lucas) posuerunt quid dixerit *Jairus*; *Matthæus* autem quid voluerit atque cogitaverit. Utrumque ergo petium est à *Domino*, ut vel morientem salvam faceret, vel mortuam suscitaret. Sed cum instituisset *Matthæus* totum breviter dicere; hoc insinuat, patrem rogantem dixisse quod et ipsum certum est voluisse, et *Christum* fecisse.*

#### CAPUT XII.

##### SECUNDUM PASCHA.

*Jesus* ascendit *Jerosolymam* ad diem festum *Paschatis*, ibidemque ad piscinam probaticam sanavit languidum in sabbato. *Judeus* autem illud factum criminantibus respondet se omnia simul cum *Patre* operari; astruitque duplicem suam potestatem, scilicet vite et judicii, *Joan.* 5, à v. 1 usque ad finem capituli. Hinc cum discipulis per sata transit; cumque sabbato spicas illi vellentes, et ipse postea in alio sabbato manum aridam sanasset, *Phariseos* utrumque hoc factum reprehendentes refellit, *Matth.* 12, v. 2, *Marci* 2, v. 28, usque ad finem, et initio cap. 5. Itemque *Luce* 6, v. 1.

##### QUESTIO PRIMA.

Quis fuerit ille dies festus, de quo agitur *Joan.* 5, v. 1. Quisnam fuerit dies iste festus, etiam inter antiquos ventilatum fuit: nam S. *Cyryllus*, lib. 2, cap. 125; S. *Chrysost.*, hom. 55 in *Joan.*, et ex illo D. *Thom.* in cap. 5 *Joan.*, per hunc diem festum intelligunt *Pentecosten*; S. *Ireneus* verò, lib. 2 adversus *hereses*, cap. 30, *Eusebius* lib. 8 *Demonst. Evang.*, S. *Hieron.* et *Theodoretus*, in cap. 9 *Danielis* intelligunt festum *Paschatis*.

Resp. et dico 1<sup>o</sup>: Per istum diem festum non videtur posse intelligi festum *Pentecosten*.

Probat, quia à *Paschate* usque ad *Pentecosten* sunt tantum 7 hebdomadæ; atqui inter primum *Christi* *Pascha* et *Pentecosten* non potuerunt contingere non solum illa quæ ex aliis evangelistis contigisse narravimus capite precedenti; sed nequidem illa quæ narrat *Joannes*, à cap. 3 usque ad initium cap. 5; ergo.

Prob. min. Post ejectionem in primo *Paschate* negotiatores à templo, narratur cap. 3 colloquium *Jesu* cum *Nicodemus*; postea ibidem, v. 22, venit in *Judeam*, et baptizabat, ibique commemoratus est usque ad incarcerationem S. *Joannis Baptistæ*. Deinde, cap. 4, declinans furorẽ *Judeorum* revertitur in *Galileam*, et transiens per *Samariam*, invenit mulierem *Samaritanam*, cum qua colloquitur. Inde post duos dies abit in *Galileam*, et sanavit filium reguli. Atqui hæc omnia non videntur potuisse contingere spatio 7 hebdomadarum, quæ sunt inter *Pascha* et *Pentecosten*; ergo per istum diem festum non intelligitur festum *Pentecosten*.

Dico 2<sup>o</sup>: Per diem festum, de quo *Joannes*, cap. 5, v. 1, loquitur, intelligitur festum *Paschatis*.

Prob. 1<sup>o</sup>, quia dicit *Joannes*: *Post hæc erat dies festus Judeorum.* Id est, post colloquium *Christi* cum muliere *Samaritanâ*, et sanationem filii reguli; atqui, ut supra, cap. 11, quæst. 1, monstratum est, colloquium cum muliere *Samaritanâ* accidit post mensem octobrem, post quem *Judei* nulla amplius habebant festa, divinitus instituta, ante festum *Pasche*, ut constat ex *Levit.* 23; ergo, etc.

Prob. 2<sup>o</sup>: *Joannes* Evangelium suum scripsit pro gentilibus ad fidem conversis, qui verisimiliter non multum sciebant de festis *Judeorum*, præterquam de festo *Paschatis*, quia illud erat omnium celeberrimum: ergo quando dicit: *Dies festus Judeorum*, et quidem talis festus dies propter quem, ut addit, *Christus* ascendit seu vivit *Jerosolymam*, videtur debere intelligi de festo *Paschatis*. Nam, quando agit de aliis festis, semper addit notam distinctionis, ut cap. 7, v. 2: *Dies festus Judeorum, Scenopogia.* Et cap. 10, v. 22: *Facta sunt convivia in Jerosolyma.* Hinc

Prob. 3<sup>o</sup>: *Joannes* simpliciter et sine addito dicit: *Erat dies festus.* Atqui dies festus, quando simpliciter et sine addito ab evangelistis exprimitur, significat festum *Paschatis*; ergo, etc.

Prob. min. ex *Matth.* 26, v. 5, ubi principes sacerdotum, biduo ante *Pascha* de *Christo* occidendo consultant, dicunt: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Et similiter loquuntur *Marci* 14, v. 2. Item *Luce* 23, v. 17, dicitur de *Pilato*: *Neesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.* Cum igitur in locis jam citatis dies festus designet festum *Paschatis*, videtur etiam illud designare *Joan.* 5, v. 1.

Prob. 4, ex prophetiâ *Danielis* cap. 9, v. 23: *Scito ergo, et animadvertite: Ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt.* Id est, sexaginta novem. Et post hebdomades sexaginta duas